

omnino hominum causam suam prius in presenciam Iudicis sui Ordinarii non inchoatam per modum huiusmodi Rescripti prosequi audeat. Propterea fidelitatem vestram requirimus et eidem nihilominus serie presencium comittimus, quatenus a modo deinceps dum et quando ac quotiescunque per prefatos exponentes, aut eorum alterum cum presentibus fueritis requisiti, omnes tales huiusmodi videlicet conquestuum et Rescriptorum Apostolicorum delatores, ne contra formam huiusmodi statuti Regni nostri in causis ipsorum procedere audeant, per omnia graamina et queuis opportuna remedia cohercere et inhibere, transgressoresque huiusmodi poena etiam in Decreto ipso nostro contenta modis omnibus punire et castigare debeatis et teneamini; aliud nullo modo facere presumatis; presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo beati Andree Apostoli. Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo quarto.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 127.

CLXXVIII.

Anno 1515. Feria 5. post dominicam Quasimodo. Posonii.

Vladislaus Rex Nobilibus Regni Slavoniae praecipit, ut a Bano requisiti periclitanti Regno Croatiae trans Savam contra Turcas sine mora auxilium ferant.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Egregij et Nobiles fideles nobis dilecti. Meminimus, crebris iam vicibus vobis et scripsisse ac mandasse et per nuncios quoque vestros nunciasse, vt, dum et quocienscunque opus fuerit, et per fidelem nostrum Reuerendum in Christo patrem dominum Petrum Beryzlo, Episcopum Ecclesie Vesprimiensis, Thesaurarium nostrum ac illorum Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Banum requiremini, subito cum vniuersis gentibus vestris insurgere, ac illo, quo Banus ipse iusserit, pro patrie istius et vestra defensione ire proficiscique deberetis. Tamen, vti intelligimus, vos alegantes talem subitam et frequentem insurrectionem profectionemque vltra Zawn vobis in derogamen vetuste consuetudinis vestre cedere, hactenus mandatis in hac parte nostris parere et satisfacere minime voluissetis: quandoquidem probe considerare deberetis, quod frequentibus excursionibus et periculis, que Regno Croacie et proinde vobis tanquam vicinis et contiguis a Thurcis inferun-